



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 4. Joannis Riccii Cardinalis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](#)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1574.

suæ pietatis, Zelique exempla præbuerit.

§. IV.

*Joannis Ricci Cardinalis obitus.*  
*Ciacon. t. 3.*  
*Aubery vie*  
*des Cardin.*  
*Petrus Ju-*  
*stin. hist.*  
*Vercet Ug-*  
*hel. Ital.*  
*Sacra.*

Priusquam Lotharingius Cardinalis, cuius etiam obitum ad exitum prioris libri recensuimus, vita fungeretur, ex Purpuratis quatuor alias sacri Collegii consortio mors eripuit, quos inter primus erat Joannes Riccius Politanus in Montepolitano Etruriæ oppido ortus ex familia minus illustri, quam fuit illa, quæ Florentiæ sedem fixerat. Ceterum Joannes Patrem habuit Antonium Riccium, qui uxore sua orbatus ad secundas nuptias transiit, cum autem Joannes annos quindecim, aut ferme sedecim natus Novercæ suæ odio vexaretur, Romam se contulit, ubi a quodam Nobili Patris sui amico benigne exceptus apud Joannis Mariæ Cardinalis Montani œconomum esse iussus est, cuius Cardinalis gratiam ob solertiam suam promeritus est, adeo, ut tunc, cum ipsem Palatii Magister vita fungeretur, in ejus locum succederet, ubi in illo munere se talem præbuit, ut dein, cum Alexander Farnesius Cardinalis, Pauli III. nepos Magistrum domus quæreret, nullum, qui sibi satisfaceret, præter Joannem invenerit.

Cum

Cum autem Farnesius hunc juve- **Sæcul. XVI.**  
nem ingenii acie, miraque in rebus ge- **A.C. 1574.**  
rendis dexteritate præditum esse co-  
gnosceret, illius opera in pluribus ma-  
gni momenti negotiis utebatur, quæ  
Joannes cum summo honore perficie-  
bat, sëpe in Franciam, Germaniam,  
& Belgium allegatus: inde vero re-  
dux sacræ militiæ nomen dabat, at-  
que a Paulo III. Clericus Cameræ Apo-  
stolicæ renuntiatus, dein trina vice in  
Hispaniam, & Lusitaniam, ubi Inter-  
nuntii munere fungebatur, decretus  
est: porro cum Romam reversus, Mon-  
tanum Cardinalem suum pristinum Pa-  
tronum assumpto Julii III. nomine ad  
Divi Petri Cathedram evectum cerne-  
ret, ab eodem pluribus favoribus au-  
gebatur; quippe a recens electo Pon-  
tifice Archiepiscopatum Sipontinum,  
& non multo post Episcopatum Clusi-  
num obtinuit, ac demum in tertia  
Cardinalium electione inter Presbyte-  
ros Cardinales titulo sancti Vitalis men-  
se Novembri anno Salutis nostræ mil-  
lesimo quingentesimo quinquagesimo  
primo cooptatus est: insuper a Pio IV.  
Ecclesiam Montepoltianam in Cathed-  
ralem evehi, atque huic Episcopatuui  
Spinellum Bencium præfici impetravit,  
quo defuncto Riccius Cardinalis suc-  
cessit, atque Pisanum Archiepiscopa-  
tum

**Sæcul. XVI.** tum adeptus ibidem pro suæ Nationis  
A.C. 1574 juvenibus Collegium erexit. Mortuo

Pio IV. Pontifice in sacris comitiis Cardinales plures sua in eum suffragia conferabant, quamvis in Papam non eligeretur: subrogato autem Pio V. sancti Vitalis titulum dimisit, atque illum sanctæ Mariæ Trans-Tyberim adoptavit, dein creatus Albanensis Episcopus: præterea rursus quosdam Purpuratos sibi suffragantes habuit, cum Gregorius XIII. Pontifex renuntiaretur: eo autem Divi Petri Cathedram moderante Riccius die tertia Maii Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingen-tesimo septuagesimo quarto obiit anno ætatis suæ circiter septuagesimo iepitimo: natus enim erat Anno Salvatoris nostri millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, Corpusque ejus Romæ in sancti Petri de Monte aureo facello a se ædificato terræ mandatum est.

### §. V.

#### *Antonius de Crequy Cardinalis mortuus.*

*Ciacon.*  
*pag. 967.*  
*Aubery l. c.*  
*Frizon Gall.*  
*Purp.*

Alter ex Cardinalibus erat Antonius de Crequy natione Gallus, Filius secundo genitus Joannis Crequii, & Mariæ Acigne de Boscobello. Ceterum Antonius ex S. Juliani Turonum Abate, Præpositus S. Petri de Selincourt,